

hujus mundi cognoverint, quod DEUS sit, & quod non longè
absit ab unoquoq; nostrum, teste *Apostolo*. Quo cum conci-
nit, quod *Plutarchus* scribit, Ex pulchritudine mundi homi-
nes cognovisse primum Deos. Ut hinc mirari satis nequea-
mus crassissimam illam subtilitatem Subtilitatum Doctoris
Scaligeri Exerc. 6.3. ita disferentis: Cùm DEUS non sit intelli-
gentia illa prima primum orbem movens, sed aliud quiddam
supra & extra omnem motum, etiamsi naturali indagatione
devenero ad motorem primum, nondum intelligam per mo-
tum, DEUM esse. *Iterum*: Naturalis facultas minor est, quàm
ut queat probare hoc, DEUS est. Verum audacter nimis *Scaliger*
contra veritatem ipsam pugnat, quem vel gentes sanio-
res informasse debebant. Sic *Cicero l. 2. de nat. Deor.* Præ-
clare Aristoteles, si essent, inquit, qui sub terrâ semper habi-
tassent, bonis & illustribus domiciliis, quæ essent ornata
signis atq; picturis, instructaq; rebus iis omnibus, quibus ab-
undant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam
supra terram; accepissent autem famam & auditione, esse
quoddam numen & vim Deorum. Deinde aliquo tempore,
apertis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hæc
loca, quæ nos incolimus, atq; exire potuissent; cùm repente
terram & maria & cælum viderent, nubium magnitudinem,
ventorumq; vim cognovissent, aspexissentq; solem, ejusque
tùm magnitudinem pulchritudinemq;, tum etiam efficien-
tiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffu-
sâ, cum autem terras nox occupasset, tum cælum totum cer-
nerent astris distinctum & ornatum, lunæq; luminumque
varietatem, tum crescentis, tum senescentis, eorumq; omnium
ortus & occasus, atq; in omni æternitate ratos immutabilesq;
cursus; hæc cùm viderent, profectò & esse Deos, & hæc tan-
ta opera Deorum esse arbitrarentur. *Et iterum*: Quis hunc
hominem dixerit, qui cum tam raros astrorum ordines, tamq;
omnia inter se connexa & apta viderit, neget in his ullam in-
esse rationem, eaq; casu fieri dicat, quæ quanto consilio ge-
rantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machina-
tione quâdam moveri aliquid videmus, ut spheram, ut horas,
ut